

humore ex cerebro in χυραμὸς destil-
 lante, salivam vocant, fauces ipsas &
 larynga linguamq̄, atq̄ adeò omnem
 concauitatem œsophagi ad orificiũ
 vsq̄ ventriculi irrigare) calculi quo-
 que generentur, de quibus vir clarif-
 simus doctor Iohannes Langius, illu-
 strissimorum principum comitũ Pa-
 latinorũ medicus, secundo libro sua-
 rum Epistolarum medicinalium scri-
 bens: Curasse se, inquit, canonicum
 Ratisponensem nobilem de Sparneck,
 qui ob lapidem in tonsillarum fau-
 cium abscessu concretum continua
 afflictus sit tussi, quo emollito humo-
 re, oborta ex destillatione valida tuf-
 si, calculum gypseum excreuerit, si-
 millimũ tophis qui intra digitorum
 articulos chiragra laborantibus ac-
 crescere ex pituita solent. Quomodo
 autem quibusq̄ medicamentis
 atque medijs id factum
 sit, ibidem ex-
 ponit.